

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### **I. Übersetzung**

1 Servius Tullius regnavit annos quattuor et quadraginta ita, ut bono etiam moderatoque  
2 succedenti regi difficilis aemulatio esset. ceterum id quoque ad gloriam accessit, quod  
3 cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt. id ipsum tam mite ac tam moderatum  
4 imperium tamen, quia unius esset, deponere eum in animo habuisse quidam auctores  
sunt.  
5 Inde L. Tarquinius regnare coepit, cui Superbo cognomen facta indiderunt, quia  
socerum  
6 gener sepultura prohibuit, Romulum quoque insepultum perisse dicitans, primoresque  
7 patrum, quos Servi rebus favisse credebat, interfecit; conscius deinde male quaerendi  
8 regni ab se ipso adversus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsaepsit; neque  
9 enim ad ius regni quicquam praeter vim habebat, ut qui neque populi iussu neque  
auctori-  
10 bus patribus regnaret. eo accedabat, ut in caritate civium nihil spei reponenti metu  
11 regnum tutandum esset. quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine  
12 consiliis per se solus exercebat perque eam causam occidere, in exilium agere, bonis  
13 multare poterat non suspectos modo aut invisos, sed unde nihil aliud quam praedam  
14 sperare posset. praecipue ita patrum numero imminuto statuit nullos in patres legere,  
quo  
15 contemptior paucitate ipsa ordo esset minusque per se nihil agi indignarentur. hic enim  
16 regum primus traditum a prioribus morem de omnibus senatum consulendi solvit,  
17 domesticis consiliis rem publicam administravit; bellum, pacem foedera, societates per  
18 se ipse, cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus fecit diremitque. Latinorum sibi  
19 maxime gentem conciliabat, ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives esset, neque  
20 hospitia modo cum primoribus eorum, sed affinitates quoque iungebat. Octavio  
21 Mamilio Tusculano - is longe princeps Latini nominis erat, si famae credimus, ab Ulix  
22 deaque Circa oriundus - ei Mamilio filiam nuptum dat perque eas nuptias multos sibi  
23 cognatos amicosque eius conciliat.  
24 Iam magna Tarquini auctoritas inter Latinorum proceres erat, cum in diem certam ut ad  
25 lucem Ferentinae conveniant indicit: esse, quae agere de rebus communibus velit.  
26 conveniunt frequentes prima luce; ipse Tarquinius diem quidem servavit, sed paulo ante,  
27 quam sol occideret, venit. multa ibi toto die in concilio variis iactata sermonibus erant.  
28 Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus: haud  
mirum  
29 esse Superbo inditum Romae cognomen; an quicquam superbius esse quam ludificari  
30 sic omne nomen Latinum? Principibus longe ab domo excitis ipsum, qui concilium

31     indixerit, non adesse.

## **II. Sprachliche Erläuterungen**

1.     Der Übersetzung sind kurze Erläuterungen beizugeben.